

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 20. Quid in administratione Sacramentorum, Et ex doctrina moderna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

nūs probabilis, modò apparere probabiliorem.  
Rationes hæ furiūs deducuntur infrā Part. 3.  
tract. I. §. I. & seqq.

Hinc etsi probabilius sit legem purè pænalem  
in materia gravi obligare sub mortali, uti cum  
19. aliis docet Suar. licet tamen sequeris opini-  
onem contrariam cum Navarro & 7. aliis  
probatis authoribus. Undè similia resolves plu-  
rima.

Dixi suprà, seclusâ certâ injuriâ proximi, aut le-  
ge, aut conventione in contrarium, aut periculo gravis  
mali. Quia illa impediunt usum opinionis specu-  
lative probabilis, eo quod efficiant ne tunc  
possim habere judicium practicè certum de ho-  
nestate meæ operationis. Hinc licet mihi sit  
probabile feram esse quam video moveri in syl-  
va, si tamen probabilius, aut etiam probabili-  
le sit esse hominem, non possum me licet ad  
pculandum resolvere, idque propter pericu-  
lum gravioris mali, quod in admenda homini-  
nis vita consistit. Ex quo etiam sequentia de-  
duces.

#### *P. XX. Quid in Administratione Sacra- mentorum.*

**I**N Administratione Sacramentorum, non li-  
cet sequi sententiam speculativè probabilem  
circa valorem Sacramenti, quando non deest  
potestas sequendi tutiorem.

Hinc illicitum est baptizare infantem in solo  
digito, vel aquâ rosaceâ, aut nivali, quando  
aliter fieri potest: et si speculativè, id est, con-  
sideratâ ratione vel autoritate, sit probabile  
Baptizatum in digito validum esse.

Item, non licet moribundo conferre absolu-  
tionem

tionem probabiliter tantum valitaram, quando certior impendi potest.

Ratio est primò, quia dignitas Sacramentī postulat, ut quis merè pro suo arbitrio non exponat se periculo conficiendi Sacramentum invalidum: nam hæc res est maximi momenti, & religionis materia dignissima. Inde fit, ut si Sacramentum sit invalidum, transeat in rem profanam: ergo sequendo opinionem tantum probabilem absque necessitate, violat virtutem religionis, exponendo eatenus Sacramentum invaliditatē.

Dices, tunc ministrum Sacramenti procedere prudenter, si præcisè spectetur virtus religionis, ut fit in aliis materiis, dum sequimur sententiam probabilem: ergo hic idem dicendum est. Respondeo disparitatem esse, quod in aliis materiis non agatur de rei valore, & quidem rei dignissimæ, sed tantum de operatione nostra, ut fiat citra culpam formalem, et si forte non videtur malum materiale. Longè autem major oritur obligatio, dum periclitatur valor rei sacræ, quam quando incurritur periculum rei tantum materialiter malæ: quia licet opinio probabilis possit reddere actionem licitam, non potest tamen Sacramentum facere validum, si contingat requisita ad materiam, formam, aut valorem deesse.

Ratio est Secundò, quia Sacraenta ordinantur ad singulare bonum suscipientium: ergo repugnat charitati conferre Sacramentum incertum, quod certum commodè conferri potest: etenim sic proximus exponit, cum suo gravi damno, præsenti periculo, ne privetur gratiâ & effectu Sacramenti, qui à vera materia, forma & valore dependent.

B 6

Dices,

36 Pars 3. tract. 1. Principia practica.

Dices , ergo si ipse suscipiens consentiat , ut sibi Sacramentum aliquod cum opinione merè probabili administretur extra necessitatum , non peccabit administrans .

Respondeo , negando sequelam , nisi pos sit licet consentire : Primo , quia vi dilectionis proximo debitæ , tenetur quivis ( quantum potest ) propulsare ab altero grave malum , etiamsi hoc ille contemneret ex imprudentia , vel malitia : Secundo , licet tunc administrans non peccaret contra charitatem , peccaret tamen juxta primam rationem contra virtutem religionis : contra quam virtutem similiter in dicto casu peccaret ipse suscipiens , in administrationem illam consen-  
tiendo ; cùm à quovis Sancta Sanctè tractanda sint , præsertim Sacraenta divinitus instituta ad nostram sanctificationem . Adeo , quod è quibusdam Sacrementis tantum probabiliter validis , ut in Baptismo , nata sunt sequi , præter periculum carentiae omnis fructus in suscipientibus , gravia incommoda inter fideles .

Ex dictis etiam pater , quād merito ab Innocentio XI. damnata sit propositio . Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti , relata tuiore , nisi id vetet lex , conventio , aut periculum gravis damni incurrendi . Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptisi , Ordinis Sacerdotalis , aut Episcopalis .

P. XXI.